# INDEX LECTIONUM

IN

## LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

A DIE XV OCTOBRIS ANNI MDCCCLXVI

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **DR. JOSEPHI BENDER** DE HENRICO EPISCOPO WARMIENSI, QUI FUIT ANTE ANSELMUM, COMMENTATIO.

**BRUNSBERGAE,**

TYPIS HEYNEANIS.

LYCEI REGII HOSIANI h. t. RECTOR

**Dr. LAUR. FELDT,**

PROF. PUBL. ORD.

# LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

# RECTOR ET SENATUS

## CIVIBUS SUIS

# S.

Quod Innocentius Papa IV. per literas 6. Oct. 1246 datas [1]) Alberto Archiepiscopo Prussiae, Livoniae et Estoniae, ut fratrem Warnerum ordinis Praedicatorum terrae Pomesaniae vel terrae Warmiae praeficeret episcopum, mandaverat, num effectum sit, plane dubium, saltem huc usque non exploratum est. Siquidem circa hoc tempus in universum de suffraganeis Archiepiscopi Prussiae sermo est, [2]) attamen re vera inter Prussiae dioeceses Warmiam jam tunc episcopum suum habuisse, non facile aliquis probare poterit. Certum contra est, jam in diplomate Alberti Archiep. Prussiae et Livoniae apostolicae sedis Legati d. d. 10. Jan. 1249 una cum Heidenrico, fratre ord. Praedicat., qui primus traditur episc. Culmensis fuisse, et Ernesto, ejusdem ordinis fratre, quem non minus constat primum dioecesi Pomesaniensi praefuisse, [3]) extitisse Henricum Warmiensem episcopum, Alberti suffraganeum. [4]) Est igitur sane quod magnopere miremur, quod litterae Innocentii P. IV. ad Albertum Archiep. et Legatum post unum mensem (11. Febr. 1249) [5]) datae prostant, per quas Archiepiscopo stricte praecipit, ut „in virtute obedientiae

---

[1]) V. Cod. Dipl. Warm. (C. W.) ed. C. P. Woelky et J. M. Saage I. pag. 24.

[2]) Cf. litterae Innoc. P. IV. ad suffraganeos archiepiscopi Prussiae d. d. 9. Jan. 1246. C. W. I. p. 13; ad Gnesnensem et Prussiae archiepiscopos ac eorum suffraganeos d. d. 19. Nov. 1247. V. Cod. Dipl. Prussic. Ed. J. Voigt (C. P.) I. p. 68, (ubi perperam Enennen. pro Gnesenen. — sic recte apud Raynald. Annal. Eccles. ad h. a. §. 25 — scribitur); ad Archiep. Prussiae d. d. 27. Sept. 1248, ut tribus de suffraganeis eius quaedam beneficia recipere liceat. C. P. I. p. 70, qua re fortasse indicari videtur, tunc, si non institutum, tamen nominatum fuisse etiam quendam Warmiae episc.

[3]) Henricus (sive Heidenricus) Culmensis primus episcopus commemoratur a Boguph. 63 in Script. Rer. Pruss. I. p. 758. et in Chronico Anonymi Gneznen. apud Sommersberg. Rer. Siles. Script. II. 81. — „Venerabilis pater frater Ernestus de ordine Predicatorum primus Episcopus Pomezanie" occurrit a. 1250 C. P. I. p. 80 et 81. In sigillo eius legitur: „Ernestus d. g. primus Ep. Pomez." v. Voigt, hist. Pr. 2. p. 470. — Anselmus Episc. Warm. primus fundator eiusdem eccl. appellatur a. 1373 C. W. II. p. 481; Henricus de Strittberch a. 1296 primus Ep. Sambiens. C. P. II. p. 39; quamquam ante hos primos episc. etiam alii in plerisque Prussiae dioecesibus antistites inveniri possunt. Sed de illis episcopis, qui primos praecesserunt, epimetro, quod subjungemus, paullo accuratius disputabimus.

[4]) C. W. I. p. 27 „mediantibus Venerabilibus confratribus nostris fratre Heidenrico cholmense et fratre Ernesto pomozaniense ordinis predicatorum et Henrico warmiense Episcopis suffraganeis nostris."

[5]) C. W. I p. 41.

dilectum filium fratrem Henricum de Strittberch[6]) Sacerdotem hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum uni ex dioecesibus Prussiae, scilicet Warmiae, aut alicui alii, si qua ibidem vacat ad praesens, vel quum cito vacare contigerit, prompto affectu praeficiat in pastorem.“ Nihil certius est, quam utrumque Henricum, et Warmiensem episcopum in diplomate d. d. 10. Jan. 1249 obvium, et Henricum de Strittberch, 11. Febr. 1249 a papa commendatum, non esse unum eundemque.[7])

Ex diplomate illo (1249), in quo Heidenricus et Ernestus expresse fratris cognomine significantur, id pro certissimo efficitur, Henricum Warmiens. ep. non alicujus ordinis religiosi, sed sacerdotem saecularem fuisse. Nec minus contra manifesto Henricum de Strittberch sacerdotem regularem vel „fratrem clericum“ ordinis Teutonici fuisse, litteris summi pontificis ejusdem anni comprobatur. Qua in re id imprimis efferendum est, litteras Innocentii IV. sane fore ineptissimas, si 11. Febr. 1249 severe praeciperet, ut idem Henricus de Strittberch episcopus constitueretur, qui 10. Jan. ejusdem anni jam fuisset, si igitur et papa et archiep. Prussiae unum et idem in episcopo Warmiae nominando sensissent.

Nequaquam autem consenserunt. Ordo Teutonicus quum ab initio nihil studiosius acriusque peteret atque ageret, quam ut dominationem totius Prussiae assequeretur, potestate quam sibi obviam putabat episcopali oppressa vel saltem coercita, omnibus inimicitiae modis jam primum Prussiae episcopum Christianum vexaverat atque oppugnaverat.[8]) Post cujus mortem (1245) quum Albertus Armachanus archiepiscopus Prussiae praeficeretur ecclesiae (9. Jan. 1246)[9]), in eum vetus ordinis Teutonici odium transiisse videtur, quod eo magis exarsit, quo majore Innocentii P. IV. favore sensim fruebatur, et quo majore studio archiepiscopus juribus episcopalibus sibi collatis contra illum ordinem uti intendebat.[10]) Demum 10. Jan. 1249 compositio discordiae tentata est,[11]) e qua tamen ordo Teut. tunc ita victor evasit, ut archiep. promitteret, „se sedem nusquam constituturum in Prussia, nisi hoc

---

[6]) Henricum de Strittberch prius falso appellatum fuisse H. de Strateich, jam ad liquidum perductum est; v. C. Höfler, Albert v. Beham, p. 179 cf. C. W. II. p. 53; 602.

[7]) Quod jam ante hos duodecim annos Fr. Beckmann, collega noster doctissimus, commentatione de primo episcopo Warmiae argumentis idoneis comprobavit (p. 21. al.), qui etiam (p. 18) discrimen inter hos episcopos et apposito et omisso fratris cognomine effert.

[8]) De genere harum inimicitiarum loquitur diploma d. d. 11. Apr. 1240 (Theiner, Vetera Monum. Polon. nr. 73; etiam apud Watterich, Gründ. des deutsch. Ordenstaates p. 255), cui quidem contrariae videntur litterae Innocent. IV. d. d. 1. Oct. 1243, in C. P. I. p. 54. Cf. in universum Watterich l. c. et nostra commentat. in Zeitschrift für erml. Gesch. II. p. 211.

[9]) C. W. I. p. 13.

[10]) Diplomata ipsa, quae prostant, ostendunt, quomodo favor, quo summus pontifex Albertum initio amplectebatur, sensim languerit. Haec vicissitudo litteris papae maxime inde ab anno 1247 datis probatur. V. C. W. I. Reg. nr. 34, 36, 40, 49 al.

[11]) V. C. W. I. p. 27. 10. Jan. 1249 „Super diuersis questionum articulis seu iuribus seu iniuriis suborta discordia inter nos (scil. archiep.) ex vna parte et Magistrum domus Theutonicor. ex altera.“ Cf. C. P. I. p. 76. 30. Jul. 1249 „de discordia sopienda, que est inter Archiep. ex una parte et fratres domus thetonice ex altera.“ Watterich, l. c. p. 262, 23. Feb. 1251. — In quem locum tandem haec altercatio deducta sit, vel maxime inde

de bona fratrum processerit voluntate." Anno 1250. 27. Sept. Innocentius IV. Alberto legationis officium abrogavit eique vetuit, ne „in Prussia, Livonia vel Estonia episcopum quemquam instituat."[12]) Quid etiam mirum est, quod Albertus praeferret, in instituendis episcopis suum et ecclesiae jus persequi, quam sacerdotibus ord. Teut. favendo infringere. Inde a tempore Gregorii P. IX. rationes inter summum pontificem, fratres ord. Teut. et potestatem episcopalem multis modis immutatae sunt.[13]) Gregorius IX. 17. Sept. 1230 fratres ord. Praedicatorum, quos pontifices tunc summopere fovebant, elegit, ut ad sacram contra Prutenos expeditionem exhortarentur.[14]). Jam mense Oct. 1233 hi fratres in Prussia ipsa operam suam navaverunt saluberrimam.[15]) 28. Mai 1236 Gregorius IX. Wilhelmo episc. quondam Mutinensi Legato suo mandat, ut „de consilio et assensu fratrum o. Teut. tres de fratribus ordinis Praedicatorum dumtaxat instituat"[16]) episcopos in Prussia. Quod quidem mandatum quantumvis contrarium esset consiliis fratrum o. T., paullatim tamen asseculi sunt, quod appetebant, postquam Innocentii animum sibi conciliavere. Factum est igitur, ut per litteras papales 5. Mai. 1246 datas[17]) archiepiscopo Prussiae, Livoniae et Estoniae mandaretur, ut propter magna merita fratrum o. T. „aliquem ex fratribus clericis o. T. cessante cuiusque dilationis et difficultatis obstaculo uni dioecesi Prussiae cum super hoc ab eisdem fratribus requisitus extiterit in episcopum praeficiat."[18]) In quo mandato

---

apparet, quod circa a. 1268 archiepiscopus per fratres o. T. captus tenebatur, de qua re accusatio etiam exstat a. 1298 aut 1299 instructa. V. Dogiel V. 25 („quod ipsi fratres venerab. patrem b. m. Albertum, Rigens. archiep., eo, quod eisdem Magistro et fratribus se pro defensione suae ecclesiae ipsiusque juribus opponebat, ausu sacrilego et nefario ceperunt etc.") apud Goetze, Albert Suerbeer, St. Petersb. 1854. p. 105; et ibid. p. 217 interrogationem testium a. 1312 habitam; cf. Voigt, hist. Pr. 3,303. — Hac occasione in mentem venit Christiani decessoris in Prussia captivitatis, quae quantopere ex animi sententia, ne dicam cum voluntate et assensu, fratrum illorum evenerit, res ipsae tunc gestae loquuntur.

[12]) C. W. I. p. 44.

[13]) Quum Gregorius IX., uti diploma d. d. 11. Apr. 1240 docet, Christianum etiam contra ord. Teut. injurias tueri videbatur, Innoc. IV. alieno in eum erat animo et voluntate. V. dipl. d. d. 30. Jul. 1243 apud Watterich l. c. p. 260; 1. Oct. 1243 in C. P. I. p. 54.

[14]) V. Litt. papales d. d. 17. Sept. 1230; 18. Jun. 1231; 3. Feb. 1232; 6. Oct. 1233; 7. Oct. 1233 in C. P. I. p. 22, 25, 26, 30, 32.

[15]) C. P. I. p. 29 „fratres ord. praed. in Prussiae partibus constituti," cf. p. 33.

[16]) C. P. I. p. 46.

[17]) C. P. I. p. 64.

[18]) Una dioecesis Culmensis tunc episcopum habebat (v. dipl. 10. Mart. 1246), non Pomesania, non Warmia. V. dipl. 6. Oct. 1246, quo Warnerus frater ord. Praedicat. commendatur. Papa haud dubie non nisi precibus Romanorum regis commotus a mandato suo, paullo ante — 5. Maj. — dato, recessit. Fuit autem ille rex Henricus Thuringiae Landgravius 22. Mai. 1246 Innocentii IV. auctoritate et studio electus (inde rex clericorum ab aequalibus nominatus). V. Annal. Colmar. et Annal. Argentin. apud Böhmer, Fontes R. Germ. II. p. 2 et p. 108, cf. ejusdem Regest. ad h. a. Post regis mortem (17. Febr. 1247) etiam in Innocentio studium Warneri, qui regi „familiaris et carus esse dinoscitur" evanuisse videtur. De amicitia ejus cum rege in Bullario Dominicanorum saepius sermo est. Quum papa 22. April. 1246 „ad Praedicatores et Minoritas scriberet, ut novi regis partes tuerentur; atque occassione captata prudenter Germanos ad novi regis capessenda imperia, cum primum electus esset, publice occulteque hortarentur" (Raynald. l. c. 1246 §. 7), concludi licet, Warnerum illum fratrem Praedic. pro eligendo Henrico notabilem praestitisse operam.

summus pontifex per litteras d. d. 11. Febr. 1249 jam laudatas inhaerens stricte praecipit, [19]) ut archiepiscopus Henricum de Strittberch fr. o. T. „Warmiae aut alicui alii dioecesium praeficiat in pastorem.“ „Et si forte de praedicto fratre aliquid interim humanitus evenerit, id ipsum facias de alio fratre idoneo, qui eisdem fratribus sit acceptus.“ Unde manifesto sequitur, Albertum mandata pontificis minime fuisse exsecutum. Re vera post annum 1246 nec terra Culmensis, nec Pomesania, nec Warmia, ut Sambiam taceamus,[20]) episcopum ex ordine Teut. habuit. Dioecesi Culmensi jam 10. Mart. 1246 praeerat frater Heidenricus ord. Praedic.[21]) Non ita multo post frater Ernestus ord. Praedic. Pomesaniae praefectus esse videtur.[22]) Warmiensem episc. Henricum nullius fuisse ordinis, jam docuimus.

Quum jam serio res agi videretur, pontificique parendum esse, unus episcoporum, qui tunc fuerunt, loco cedere debebat. Hanc sortem Warmiensi obventuram, non erat dubium. Heidenricus enim summo pontifici acceptissimus erat, qui eum sua manu consecraverat.[23]) Ernestus una cum Heidenrico jussu papae ad Prutenos paganos debellandos inflamasse traditur,[24]) itaque non minus Innocentio gratus fuisse videtur. Sambiensem Johannem de Deyst (Theodorus haud dubie papa inscio nominatus ideoque reprobatus judicandus est) episcopum pontifici gratum fuisse, sequitur ex diplomate, quo ad episcopatum Bremensem transfertur.[25]) Henricum autem illum Warmiae episcopum Innocentius aut prorsus ignorabat aut ignorare volebat, quippe qui papa imprudente aut saltem non jubente institutus esset. Alberto autem archiep. eum notissimum et acceptissimum, et, ut conjiciendum est, ab eo institutum et consecratum fuisse, ex eo sequitur, quod praeter Culmensem et Pomesan. episcopos Henrico intercessore usus est.[26]) Jacobus contra „Leodiensis archidiaconus

---

[19]) Quam arcta tunc temporis conjunctio extiterit inter „fratrem Theodericum de Groninge, praeceptorem fratrum in Prussia“ et sedem apostolicam, „a qua ardua et festinata necogia ei erant commissa,“ et fratres praedicatorum, inter alia e diplomate d. d. 30. Jul. 1249 (C. P. I p. 76) elucet. Ceterum quod de discordia inter fratres o. T., qui tunc aut partes papae aut imperatoris secuti essent, qualem Voigt. hist. Pr. 3, p. 9 seqq. statuit, nos quidem judicamus, exposuimus in Zeitschrift für erml. G. II. p. 208 seqq.

[20]) In Sambia demum a. 1252 primus episc. Johannes de Deyst, ordinis fratrum minorum, occurrit, praeter quem autem, pari ut videtur rerum fortuna, quam in Warmia expertus est Henricus, alius etiam invenitur episcopus Sambiensis, Theodorus frater ord. Praedic. Uterque igitur non fuit sacerdos ord. Teut.

[21]) C. W. I. p. 15, p. 27 al.

[22]) Voigt, hist. Pr. II. 489 eum jam 1247 episcopum fuisse affirmat, testimoniis non additis.

[23]) V. dipl. in Act. Boruss. II. p. 721.

[24]) Voigt, hist. Pr. II. 470, hoc pro certo narrat, auctore Leone (hist. Pr. p. 69). Quae tamen narratio e Grunovio (T. IX c. 3) ad Leonem transiit. „Ernestus disser war ein monch vnd doctor predicatorum Sancti Dominici, von Turga der geburt, disser war Commissarius mit der Creutzfart auf die preussen tzu predigen. Darumb wilhelmus der legat mit verwilligung des Bobsts providirte yn mit der kirchen Sancti Johannis Evangelistae.“ Per se haec traditio universa a verisimilitudine non abhorret. Nam quum inter fratres ord. Praed., qui, uti litterae pontificiae dicunt, „praedicabant contra perfidiam Prutenorum“, fratres eius ordinis in Magdeburgensi provincia constituti praecipuam tunc navarent operam (v. litt. d. a. 1230 et 1232 in C. P. I. 22 et 26), ex eorum numero facile monachus Torgavia oriundus esse potuit.

[25]) V. testimonia in Voigt, hist. Pr. III. 93.

[26]) C. W. I. p. 27, 10. Jan. 1249 „mediantibus etc.“

domini papae capellanus et vices gerens,“ quum de pace cum Pomesaniensibus, Warmiensibus et Natangis componenda ageret, Culmensem episcopum, neque tamen Warmiensem adhibuit.[27])

Quamquam res proxime gestae quem ordinem et exitum habuerint, nullo documento traditum nobis est, id tamen eventu pro certo efficitur, Henricum episcopatum suum, quem jam possedit, non retinuisse. Licet traditio ecclesiae Warmiensis[28]) eum in numero antistitum verum episcopum non habeat,[29]) nihilosecius tamen ipso diplomate d. d. 11. Jan. 1249 probatur, Henricum revera non prorsus nomine tantum episcopum fuisse, sed in Prussia ipsa commorantem munus suum suscepisse et episcopatum adiisse. Nam quum Heidenricus illi actioni interesset, idemque aliquot dies post (7. Febr. 1249) certo in Prussia esset,[30]) sequitur, Henricum etiam Warmiensem tunc in Prussia praesentem fuisse. Omnis tollitur dubitatio diplomate a. 1251. 13. Nov. dato, quo Albertus testatur, illud negotium in Prussia esse actum.[31]) Res illa igitur, quae acta fuit, rata habebatur, idoneo teste Henrico.

Nec multo plus certi de Henrico de Strittberch sacerdote ord. Teut., quem papa volebat episcopum unius dioecesium in Prussia fieri, erui potest. Memoria, quae eum „Moravum Brinnensem et ibidem ad S. Petrum in monasterio canonicum fuisse; ob eloquentiam ab Ottocare in honore habitum, cum eo in Prussiam venisse; Thorunii consecratum, episcopatum Samb. suscepisse,“ perhibet, certis testimoniis probari nequit.[32])

---

[27]) C. W. I. p. 29.

[28]) De hac re fusius disputat Franc. Beckmann libro laudato. Cf. C. W. II. 53.

[29]) Quam tamen rem legitimae dignitati episcopali minime repugnare, etiam ex eo sequitur, quod Henricus de Strittberch episc. Sambiensis in diplomate d. d. 11. April. 1296 (C. P. II. p. 39) expresse primus episc. nominatur, quamquam ante eum Johannes verus et legitimus erat episcopus.

[30]) C. W. I. p. 29. Actum tunc esse videtur aut Balgae, ut conjecerim e praesentia (Henrici de Wida vicemagistri et) conventus in Balga, ubi jam 1242 Wilhelmus Mutin. Legatus commoratus fuerat (Hennig, Kurländ. Samml. p. 171; Napiersky, Index corp. histor. diplom. Livoniae, Eston., Curon. I. p. 15; Voigt, hist. Pruss. II. p. 429), aut Christburgi (Voigt, l. c. II. 672).

[31]) C. W. I. p. 29. 13. Nov. 1251 „cum tribus episcopis mediantibus ante duos annos provisum fuerat in Prutia.“ Ex hoc diplomate sequitur etiam, Ottonem Marchionem Brandenburgensem, quem Dusburgius (in: Scriptores Rerum Prussicarum [S. R. P.] edid. Th. Hirsch, M. Toeppen et E. Strehlke, I. p. 88) demum 1251 in Prussiam venientem facit, jam 1249 illic fuisse.

[32]) Leo hist. Pr. p. 96. Hanc rem Voigt (hist. Pr. III. 93) pro certa narrat, testimonio Leonis fultus. Attamen eum fugit, hanc traditionem e Grunovio fluxisse (vel potius ad verbum fere translatam esse), quem tantopere impugnare solet. Dicit ille: Heinricus j. war der geburt von Brun vnd Thumher yn Sant peters monster tzu Brun, disser war.... etc.“ Societas Morava Silesiaca (histor. statist. Section der k. k. mähr.-schles. Gesellschaft zur Beförderung des Ackerbaues, der Natur- und Landeskunde) Brinnensis, a nobis requisita, humanissime et liberalissime nobiscum communicavit, e fontibus illius terrae prorsus nihil de hac re inveniri, neque de gente de Strittberch quidquam illic esse notum. Mihi quidem persuasum est, originem Henrici repetendam esse e media Germania, e Franconiae et Saxoniae superioris regionibus. Villa Streitberg cum arce, Forchemium inter et Byruthum, quondam marchionatus Culmbacensis, circumdata est pluribus commendis balliviarum Franconiae et Thuringiae. Villa parochialis Brünn est non procul ab oppido Hiltpershusa; neque multum inde distat civitas Schleitz (proprie Schlewitz, teste Büschingio), a qua sine dubio nomen

Anno jam sequenti, 1250, videmus, quem eventum summi pontificis mandatum habuerit. Re vera enim hoc anno primum uni dioecesium Prussiae, et quidem Warmiensi, episcopus ex o. Teut. praefectus est, attamen non Henricus de Strittberch, quem Innocentius commendaverat, sed Anselmus. Episcopus Albanensis, apostolicae sedis Legatus, apostolica auctoritate eum praefecerat, papa confirmaverat. Quae facta sunt in regione a Prussia remotissima, archiepiscopo sine ullo dubio non rogato, nec requisito. Summus pontifex et cum eo fratres o. T. vicerant, archiepiscopi candidatus haud dubie sedi suae renuntiaverat. Nam Innocentius IV. ipse tunc vacasse episcopatum Warmiensem testatur.[33])

Henricus autem, etiam postquam episcopatui cessit, nomen episcopi Warmiensis

---

habebat frater Otto, amicus Henrici episcopi, commendator castri Thorunensis, cui omnia sua a. 1255 abiturus in Germaniam credidit (C. P. I. p. 96), quem Voigtius (Namenscodex p. 56) nominat Ottonem de Slewitz sive Schlewitz. Henricus sub finem vitae se in Thuringiae regionem recepit, ut in patriam suam. Erfordiae sedem fixisse videtur. V. dipl. 1270 C. P. I. p. 165, quo ordo Teut. per fratrem Johannem de Hordorf „episcopo vel eius certo nuncio in Erfordia" quadraginta marcas argenti se soluturum pollicetur; fratres assignaverunt 1277 ecclesiae Sambiensi sua bona in Vremar (C. P. I. 170; 1322 „quaedam villa sollempnis dicta Vrimar in Turingia." C. P. II. p. 130). Maxime vicina autem sunt hodieque loca: Erfordia, villa parochialis Friemar (ducat. Gothan.) atque oppidum Ordrup (Ohrdruf sive Ohrdorf, uti Büschingius habet), unde nomen suum fratrem Joh. de Hordorf sumpsisse, dubitari nequit. (Addimus, etiam in comitatu Isenburgensi villam Streitberg esse sitam. Apud Voigtium [Namenscodex p. 7] reperitur Stephanus de Streitberg 1464—1495 inter officiales o. T. in Prussia). De nomine Henrici Strittberch praeter Canonic. Sambiens. (S. R. P. I. 288) et dipl. d. d. 11. Febr. 1249 nulla documenta exstare videntur. Grunovius et ejus asseclae ignorant; Voigtius merito in medium protraxit. — Sed unde traditio extiterit, Henricum Brunnae canonicum ad St. Petrum fuisse, quae tam certum fundamentum habere videtur? (Inter alia vid. dipl. d. d. 21. Jun. 1279, — C. W. II. 568 ex Boczek Cod. dipl. sumptum —, ubi magister Rytshardus de monte sancti Petri in Brunna apparet.) Haec quoque quaestio non difficile dissolvitur. Extitit prope Halam Saxonum celeberrimum monasterium canonicorum regularium (ord. S. Aug.) in Monte St. Petri (Monte Sereno, Lauterberg). Quam facile erat, fortasse propter villam Brunn, quam supra nominavimus, aberrare ab hoc Monte St. Petri ad alium Moraviensem, qui propter veteres illas et notissimas rationes, quae inde ab Ottocaro rege Brunoneque episc. Olomuc. (cuius vices etiam secundus episc. Warm. Henricus 1279 Brunnae gerebat, illo magistro de Monte St. Petri teste usus) intercedebant Prussiam inter et Bohemiam Moraviamque, scriptori rerum Prussicarum notior fuit, quum ille Halensis! Loco autem illi commutationi dato, non minus facile scriptor levis parumque diligens primum Sambiae episcopum Ottocarum, debellatorem illius terrae, et Brunonem comitantem facere potuit. (De qua re nuperrime etiam O. Lorenz, deutsch. Gesch. im 13. u. 14. Jahrh. I. 129, non dubitat, haud dubie Voigtio auctore. — Commemorare quoque juvat, Erfordiae etiam fuisse abbatiam in Monte St. Petri.)

Optimo quidem jure diploma quoddam anni 1256, a Gudeno l. c. III. p. 1122 editum, in C. W. II. 552 ad Henricum Sambiensem relatum est. De ejus sigillo autem, quod in nostra quaestione plurimum valet, dubito. Equidem in eo legerim pro Hvgonis: Heinrici, et pro Warmie: Sambie s. Sambien. Henricum, quia careret sigillo Sambiensi, adhibuisse etiam sigillum primi ipsius pontificatus, scil. Warmiensis, conjici non bene potest, quoniam, quum 11. Febr. 1249 primum archiepiscopo Prussiae mandatum sit, ut Henricum de Strittberch vel Warmiae vel alicui alii dioecesi praeficeret, contra jam 28. Aug. 1250 Anselmus ep. Warm. sit consecratus, pontificatus Henrici Warmiensis vere nullus esse potest; et quoniam, quod maximum est, Henricus in illo itinere, quo Marburgi commoratus est, re vera suum sigillum Sambiense secum habebat. Etenim sigillum, quo eodem tempore (29. Jun. 1256 C. P. I. 100) diploma suum Francofurti datum munivit, ita habet: „S. Fris. Heinrici. Dei Gra. Sambiensis Ep." V. Napiersky, Ind. I. p. 32.

[33]) C. W. I. p. 44. „Episcopatui Warm. tunc uacanti."

retinebat, quod plurimi vel ejecti, vel profugi, vel reprobati, vel tantum nominati episcopi Prussiae vicinarumque regionum tunc jure suo facere solebant.[34])

Anno 1254 etenim „Henricus episcopus quondam Warmiensis“ in litteris papalibus, quas infra citabimus, commemoratur. Par prorsus rerum ratio praesentatur nobis post obitum Anselmi episc. Warm. Etenim Albertus „Rigensis Archiepiscopus loci Metropolitanus de Johanne praeposito Rigensi auctoritate propria canonice providerat.“ Capitulum autem ecclesiae Warm. per Henricum decanum et Magistrum Jordanum canonicos praepositum ipsius ecclesiae Henricum Warmiensem episcopum elegerant. Ab utraque parte ad sedem apostolicam appellatum est. „Demum tam praepositus Warm., quam praepositus Rigensis jus suum libere in papae manibus resignaverunt, qui, huiusmodi resignatione recepta, Henricum praepositum Warm. praefecit in episcopum et pastorem et consecrationis munus ei suis propriis manibus duxit impendendum.“[35]) Johannes tamen praepos. Rig. etiam postea nomen episcopi Warmiensis retinuit. Episcopus „quondam Warmiensis Johannes“ occurrit nobis 20. Mart. 1281 Revaliae apud episcopum illius loci, qui eum coepiscopum suum nominat.[36]) Ad majorem post evectus est honoris gradum. Factus est enim archiepiscopus Rigensis (Johannes II. de Vecthe sive Fechten 1285—1295).[37])

Uterque Henricus, et Warm. episc. et frater Henricus de Strittberch, iterum tamquam competitores in primordiis historiae Sambiensis nobis occurrunt, manifesto inter se distincti aut omisso aut apposito fratris cognomine. Innocentius P. IV. 7. Mai. 1254 „dilecto filio Petro sancti Georgii ad velum aureum diacono Cardinali, apost. sedis Legato,“ mandat, ut Henricum episcopum quondam Warmiensem ecclesiae Sambiensi, a qua nuper Johannem episcopum Lubecensem ad ecclesiam Lubecensem transtulerat, auctoritate apostolica praeficiat episcopum et pastorem.[38]) Res per litteras, quas Innocentius

---

[34]) De qua re universa, quum ad historiam suffraganeorum apud Germaniae ordinarios episcoporum illustrandam magnum afferat usum, accuratiorem aliquanto disputationem, quam sub finem commentarioli nostri subjuncturi eramus, in aliud tempus, si Deus dabit, reservabimus.

[35]) C. W. II. 567, ex: Theiner, Vet. Monum. I. p. 86.

[36]) C. W. II. 570.

[37]) Quod inde concludimus, quod hic archiep. antea praepositus Rigensis fuerat. V. dipl. (apud Goetze, Albert Suerbeer, p. 106): „Joannes Rigens. eccles. praepositus . . . in archiepiscopum Rigensis ecclesiae assumptus.“ Et ibid. p. 217: „Joh. de Vecthe praepositus Rig., qui postea fuit archiep. Rigens.“ A. 1254, 1260 Hermannus praepositus fuit (v. Inventar. privilegior. in archivo regni Cracov. etc. 1862 p. 111; Goetze l. c. p. 199); Johannes praepositus invenitur a. 1266, 1268 (quo anno cum Alberto arch. captus est), 1271, 1272 (v. Goetze p. 202, 105, 209, 213; Napiersky, Index II. p. 278; S. R. P. II. 48; Invent. p. 112.) — Qui in Invent. p. 112 (ex Dogiel, Cod. dipl. V. p. 21, ut videtur) a. 1286 commemoratur „Herm. episc. Vermensis“, non est, ut hoc per occasionem adjiciamus, Warmiensis, sed Suerinensis (s. Swerinensis) epis. Cf. etiam, quod Lisch, meklenb. Jahrb. XIV. p. 58, 249, 256, 257, de bonis tunc donatis ex aliis fontibus affert. (Nos quidem castrum Nowe pro Neuburg non procul a Wismaria sito habemus.)

[38]) C. W. II. p. 551 (Theiner, V. M. p. 56). Quod dicit papa: „Venerabili fratri nostro Henrico“ non ad ordinem quendam spectare, sed consuetam summi pontificis appellationem esse, notissimum est. 1249 alterum Henricum contra appellaverat „dilectum filium fratrem Henricum de Str.“ Henricus de Strittberch nullo modo „episcopus

IV. jam 11. Jun. 1254 sequi fecit,[39]) magis illustratur. Priori mandato addit: „Quia vero dubium est, si dictus H. episcopus vivat, aut velit provisionem huiusmodi acceptare, mandamus, quatinus, si tibi constituerit de ipsius obitu, vel quod nolit assumere curam eiusdem ecclesie Sambiensis, tu ipsi ecclesie personam idoneam de ordine Hospitalis sancte Marie Theutonicorum, aut de alio (scil. ordine), eidem Samb. ecclesie iuxta formam pro eodem H. episcopo tibi traditam preficias in episcopum et pastorem.“ Si Henricus fuisset frater Teutonici aut cujusdam alius ordinis, quam fuisset supervacaneum et absonum, mandari, ut tunc demum, si Henricus ep. Warm. non viveret, frater Teut. aut alius ordinis institueretur.

Revera Henrici nostri memoria jam tunc exstincta fuisse videtur. Recursum igitur est (sine dubio ab eodem Petro Legato)[40]) ad Henricum de Strittberch, quem jam diploma 10. Febr. 1255 datum[41]) comprobat episcopum Sambiensem esse factum. Ita tandem effectum est, quod jam 1249 papa mandaverat, ut Henricus de Strittberch[42]) uni dioecesium Prussiae praeficeretur.

---

quondam Warmiensis“ nominari potuit, quia nunquam fuerat. Aut credat aliquis, virum papae gratum, post 11. Febr. 1249 ad sedem Warm. evectum, utique tam longe ante 6. Oct. 1250 remotum esse, ut jam illo ipso die Anselmus consecrari potuerit? Ceterum ex apostolico mandato concludendum est, non tam Henricum ipsum papae minus acceptum fuisse, quam Albertum archiepiscopum, qui suae ipsius auctoritati nimium dedisset.

39) C. W. II. 552 (Theiner, V. M. p. 57).

40) Qui, (per literas papales d. d. 17. April. 1254 — Raynald. ad h. a. §. 34 — annuntiatus), sub finem ejusdem anni in regionibus Rhenanis versabatur (ita 4. Dec. Leodii, v. Böhmer, Regest. Reichssachen ad a. 1254; 24. Dec. Coloniae, v. Lacomblet, Niederrh. Urkb. II. p. 219). Num Alberti arch. consilium adhibitum sit, dubito. Demum tempore mortis Innocentii IV. († 7. Dec. 1254) in civitate Senonensi commorabatur. (Goetze, p. 66, 179. Dogiel V. p. 20). Tunc haud dubie Henricus jam nominatus erat. Nam Alex. IV. demum 31. Jan. 1255 munus pontificium capessivit.

41) C. P. I. p. 96.

42) Hunc Henricum de Strittberch fuisse per Canon. Samb. in S. R. P. I. 288 docemur. „Item sub anno domini 1252 creatus, confirmatus et consecratus fuit dominus frater Henricus de Strittberch in episcopum ecclesiae Sambiensis.“ Errat autem scriptor de anno 1252, qui non nisi in Johannem de Deyst creatum cadere potest. Nec minus fallitur p. 289 de tempore (1292) obitus Henrici; 1294 jam successor eius Christianus mortuus est.

# Epimetrum.

Priusquam primi, quos novimus, Prussiae dioecesibus episcopi praeficerentur, ubique conatus ejus rei factos esse invenimus, qui diversis causis irriti fuerunt.

Ita Culmensis dioecesis quidem primus antistes ordinarius habendus est Heidenricus,[1] attamen constans illius ecclesiae traditio est, primum episcopum Christianum fuisse. Re vera autem Christianum non peculiarem Culmensem, sed primum totius Prussiae episcopum fuisse, certissimis testimoniis comprobatur.

In diplomatis nunquam alio significatur nomine, nisi episcopi Prussiae.[2] Quum a. 1243 4. Jul. episcopatus ejus in quatuor divideretur, concessum ei est, ut unam dioecesium sibi eligeret. Videatur diploma d. d. 30. Jul. 1243, quo appellatio „episcop. Pruss." et verba: „Si vero diocesim Colmensem elegeris tibi etc."[3]) eum tunc etiam nullo jure Culmensem episcopum nominari potuisse, affatim docent. Etenim Christianus nec Culmensem nec aliam Prussiae dioecesim tunc sibi elegit; neque etiam a. 1245. 16. Jan. „Venerabilis frater Christianus epis. Pruscie," quantumvis papa urgeret atque minaretur, unam sibi elegerat dioecesium.[4] Christianus igitur, suo totius Prussiae jure insistens, mandato summi pontificis non satisfecerat. Quum non ita multo post obiisset,[5] primum episcopi Prussiae peculiares institui coepti sunt.

Quamquam igitur Christianus inter peculiares terrae Culmensis episcopos numerandus non est, tamen prima in illis regionibus bona eum sibi acquisivisse negari nequit; ita 1215 terras Luboviae et Lansaniam.[6] Terra autem Culmensis ipsa, inter Prussiae partes non numerata,[7] ab initio ad ecclesiam Plocensem spectabat, cujus episcopus Gesckho et capitulum 1222 „de omni jure tam spirituali, quam temporali, quod idem ep. et capit. in Colmensi dominio olim habuerunt, ad episcopatum Christiani episcopi resignarunt."[8] Nihilosecius tamen 1230. 30. Mart. Gunterus ep. Ploc. in terra Culmensi, tanquam in suo episcopatu, sibi ea jura pontificalia contra o. T. reservat, quae nemo nisi episcopus exercere potest.[9] Contra a. 1231 Christianus testatur, se in territorio Cholmensi con-

---

[1]) Primum obvius in dipl. d. d. 9. Jan. 1246. C. W. 1. p. 15.

[2]) De qua re jam alio loco disputavimus (Zeitschr. für Gesch. Erml. 2, 211). Et quidem expresse primus nominatur. 1215 „Christianus primus post beatum Adelbertum genti Prutenorum episcopus consecratus est." Chron. Mont. Seren. in S. R. P. 1. 241. 1246. 10. Nov. testis Caminensis episcopi est „Christianus Prutenorum episc." Lisch, Mecklenb. Urkk. 1. p. 21. Conradus dux Masoviae a. 1222. 5. Aug. et 1223. 30. Jul. eum „Venerabilem patrem dominum Chr. episc. Prussie primum" (Watterich, Ordenst. p. 233; Act. Bor. 1. 275), et Legatus sed. apost. a. 1244 „primum episc. Prussie generalem" (C. P. 1. p. 40., ubi non bene annus 1234 commemoratur. Ante 28. Maj. 1244 diploma datum esse non potest, v. S. R. P. 2, 129) appellant. Innocentius P. IV. 10. Mart. 1246 Albertum archiepiscopum Prussiae designat successorem Christiani, episcopi generalis, non Heidenricum.

[3]) Dipl. apud Watter. l. c. p. 260.

[4]) C. P. 1. p. 58.

[5]) 4. Decemb. 1245, ut videtur; v. Zeitsch. für G. Erml. 2, 197.

[6]) V. diplomata ap. Watter. l. c. p. 227; Acta Bor. 1. 259. Luc. Dav. 2, 23. Terra Luboviae ad terram Culmensem non pertinebat, (1243. C. W. 1. p. 6; 1251 terra Culmensis et conjuncta sibi terra Luboviae, Act. Bor. 2, 721; 1268. C. W. 1. p. 89. 90.) A. 1240 certabatur, num ad Prutenos, an ad duces Masoviae spectaret. C. P. 1. p. 48. Lansania (s. Lausania, Act. Bor. 1, 260; 2, 719; Luc. Dav. 2, 22), a terra Lanlania, Landesen, Lanzania, Landesano prorsus diversa est; Luboviae vicina, pars terrae Culmensis fuisse videtur, ubi nomina villarum praediorumque Lonzyn, Lonzynek, Lonzek, Lenz occurrunt. Castro Pin (hodie Pien praedium est ad Wistulam super Culmam situm), cujus loco fratres o. T. Suantopolco duci Lansaniam, (s. Lausaniam, Act. Bor. 2, 719) antea concesserant (dipl. d. 24. Nov. 1244, Kosegarten, C. d. Pom. p. 795), illa terra vicina fuisse videtur. Jam a. 1240, uti commemoravimus, duces Masoviae cum fratribus o. T. de possessione Luboviae litigabant, Christiani legitimi possessoris nulla mentione injecta. Ita etiam Christiani jura, quae in Lansaniam habebat, tunc e memoria prorsus excessisse videbantur. Verba: „et alia terra inter Marchiam (Conradi) et confinia Prutenorum" in dipl. Friderici imperatoris d. a. 1224 (Watter. l. c. 236) ad alteram utram terram referenda esse, verisimile est. (Num et Loza, l. c. 234, huc pertineat?)

[7]) 1243 „Prussia et conjuncta sibi terra Culmen." C. P. I. p. 54; „tres in ipsa Prussia et una in terra Colmensi dioeceses." Watter. l. c. p. 260 cf. Zeitschr. für erml. G. 2, 212.

[8]) Watter. l. c. p. 234; quae donatio 1223 confirmata est ab Honorio III. Dogiel IV. n. 3. Act. Bor. 1. 270.

[9]) Watter. l. c. p. 245, cf. C. P. 1. p. 103.

tulisse fratribus o. T. totum quod ab episcopatu Plocensi in subsidium episcopatus Prussiae suscepisset, sibi in reliquis episcopalem jurisdictionem reservantem;[10]) 1240 queritur, quod fratres o. T. jura episcopalia, quae ad ampliandum episcopatum Prussiae concessa essent, usurpassent etc.[11]) Quamvis igitur Christianus jura quaedam episcopalia in Culmensi etiam terra sibi vindicare posset, inter episcopos tamen Culmenses numerandus non est. Demum inde ab a. 1243, postquam Prussia in dioeceses circumscripta est, terra Culmensis in numero partium Prussiae habita est.

Simon Grunovius post Christianum episc. Culmensem secundum habet Johannem I. „Johannes j., dicit (T. IX. fol. 115 b), disser war ein Monch predicatorum tzu plotzka ym Closter, Sintdemmal Conradus der Fürst noch lebete, vnd er noch gantz ein patron vbir dis Bisthumb war, weil er es fundiret vnd dotiret hat, So wolt er dissem rechte auch genugk thuen, er sante hyn ken Rom und lies confirmacionem erwerben, vor dissen, vnd erlangte sy, Sundern im andern Jare als die preussen so tobeten, weihete er tzu Thorun vor der stat das Spitall ym Sonntag Exaudi, vnd die preussen quomen, vnd erschlugen yn mit vielen Burgern vnd tzunten die kirch an, vnd vorbranten sie alle, disser hat mit den deutschen Brudern mitleiden yn Irem vorfolgen, vnd sein tage nye von yn manete seiner kirchen gutt.“ Quae verba Leo (hist. Pr. p. 80) latine ita reddidit: „Successit Christiano in Episcopatu Joannes I. Dominicanus Plocen., quem ad praesentationem Conradi etiam summus Pontifex in Episcopum confirmavit. Hic Episcopus dum secundo anno Apostasiae primae Prussorum, Toruniae in suburbio, Ecclesiam Hospitalis, Dominica Exaudi, consecraret, eum, ac multos cives Barbari occisos, cum Ecclesia exusserunt. Bona suae Ecclesiae a Crucigeris non repetiit, illorum angustiis compassus.“[12]) De incursionibus Prutenorum, Suantopolco impellente, a. 1244 (et 1246) in Masoviam, Cujaviam et terram Culmensem factis satis multa testimonia praesto sunt.[13]) Attamen admodum confuse res illis temporibus gestae traduntur. Narratio enim Grunoviana de obitu Johannis I. eadem est, quam Dusburgius (III. 161. 162) ad episc. Heidenricum refert, (quem tamen ea occasione interiisse non tradit), et quae ad annum 1263 aut 1264 pertinet;[14]) circa quod tempus Heiden. mortuus est.[15]). In monasterio Praedic. Thorunii inter imagines episcoporum Culm., saec. 16. pictas et

---

10) Watter. l. c. p. 249.

11) Watter. l. c. p. 256. Theiner, Vetera Mon. Pol. Nr. 73.

12) Simonem Grunovium jam Luc. David 3, 35; 39 in hac re impugnat. Qui tamen argumenta sua ex errore sumpsit, opinatus, literas a. 1246. 9. Jan. (C. W. 1. p. 13) datas ad a. 1244 atque ad Heidenricum ep. Culm. spectare, quum tamen nominationem Alberti Armachani archiepiscopi Prussiae contineant. Ex hac commutatione notus ille error profectus est, quum diu crederetur, Heidenricum ex Armachano factum esse Prussiae archiepiscopum. Hic error, quem Grunovius et Leo non habent, ex Polonorum fontibus fluxisse videtur. Długossus VII. p. 703: hunc Henricum (i. e. Heidenricum) corrupte Armatensem nominat; F. Szembek, Vita b. Juttae 11 (in S. R. P. 2, 382): archiep. Ardmachanum; teste Hartknochio, Kirch. Hist. 161, eam rem etiam catalogus capitul. Culmseensis tradebat; Act. Bor. 2, 622, Arnoldt, Kirch.-Gesch. p. 144, retinent; Baczko, Gesch. Pr. 1, 212, refellit.

13) Boguph. in S. R. P. 1. p. 758, et Annales ibid. p. 764; Dusburg. 3, 34 et 35 (destruentes omnia castra praeter Thorun., Colmen. et Redunum; ita etiam Jeroschin, S. R. P. 1. p. 375, et Hochmeisterchronik, ibid. III. 547); Ann. Oliv. S. R. P. 1, 681; Długoss. p. 700, M. de Michov. Chron. lib. 3. c. 43, in Pol. hist. corp. Basil. II. 98; M. Cromer. Chron. ibid. p. 545, etc.

14) Cf. Toepennii nota ad Dusb. l. c. in S. R. P. 1. p. 126.

15) „Henricus (Heidenricus) episc. obiit anno 1262 3 calendas iulii“ (i. e. 29. Jun.). Chron. Terr. Pruss. in S. R. P. III. p. 468. Annus 1262 falso additus est. Nam etiam d. d. 27. Mart. 1263 diploma „fratris Heydenrici ordinis Praedicatorum Culm. episc.“ exstat (C. P. I. p. 153); quin etiam a. 1264 inter vivos erat, quo anno capitulum Culmense „in Cruciferorum ordinem“ transmutavit (Matth. de Michov. Chron. Polonor. III. c. 43 in Polon. histor. corp. Basil. 1582. II. p. 98; C. W. II. 564); sed jam 16. Aug. ejusdem anni 1264 inter mortuos; (29. Jun. 1264 ergo e vita decessit). Extant enim litterae Urbani papae IV. d. d. 16. Aug. 1264 (C. P. I. p. 153), quibus efficitur, Friedericum de Husen, successorem Heidenrici, tunc nondum fuisse consecratum. De diplomatis illius igitur (non omnino integri, v. C. W. I. p. 86. not.) a. 1264. 27. Jan. dati (C. W. I. p. 85) aut nomine (Fredrici, fortasse Hendrici) aut potius tempore ambigo. Primum dubito, Anselmum tunc temporis Elbingi fuisse, quia inde a mense Martio illius anni in Bohemiae regionibus versabatur (12. Mart. Brodae Germanicae, ubi etiam est Vallis virginum s. Frauenthal; 14. Jun. Dobrowicz, a fluvio Dobrawa dicto, hodie Tuppadel; cf. C. W. II. 564), ubi terrarum etiam 29. Dec. commoratus est (C. W. I. p. 84), scil. Wesloviae (hodie oppidulo Wessely s. Wessela, haud procul a Broda Germanica sito.) Ex iis, quae hoc diplomate praeposito Plocensi in Prussia exequenda mandavit, ipsum non ita

a. 1820 Culmam translatas, secundae in serie hic titulus subjectus est. „V. P. Fr. Johannes I. secundus episcopus ex ordine Praedicatorum ab Innocentio IV. a. 1245 renuntiatus, qui quum Thoruni in suburbio ecc. St. Laurentii 1245 consecraret, a Barbaris una cum templo exustus est cum XII. religiosis sui ordinis;“ qui ex traditione Praedic. Thorun. sumptus esse videtur. Sed in Bullario Dominican. ceterisque hujus ordinis fontibus Johannes ille non invenitur. Attamen utut ea traditio se habet, Dusburgius III. c. 42 ipse (et post eum Jeroschin et Hochmeisterchronik) ante Heidenricum habet episcopum Colmensem (bene distinctum a Christiano, quem semper episcopum Prussiae nominat). Is episcopus post conflictum in Rensen[16]) saluti civium Culmensium providet. Consideratis igitur iis, quae Dusburgius c. 39 et Annal. Oliv. (S. R. P. 1, 683) de intercessione Wilhelmi Legati pro pace inter Suantopolcum et fratres o. T. componenda tradunt, qui haud dubie altero anni 1244 semestri spatio in Prussia degebat;[17]) iisque, quae et in conflictu in Rensen[18]) et post eum[19]) facta sunt: res tunc gestae ex ratione temporis ita disponuntur, ut episcopus etiam quidam Culmensis, qui ipso Dusburgio teste ante Heidenricum statuendus est, quamvis de nomine Johannis non constet, non difficile ad annos 1244 et 1245 referri possit.[20])

Post Heidenrici obitum, qui ex traditione Praedicat. et Sim. Grunovii tertius episcopus nominatur, similis dissensus, qualis post mortem Anselmi episc. in Warmia fuit, inter archiep. Rigensem et fratres o. T. a. 1264 exortus est.[21])

De initiis episcopatus Pomesaniensis nihil cognitum habemus. Ante Ernestum a. 1246 (C. W. I. p. 24) archiepiscopo mandatum est, ut Warnerum terrae Pomesaniae praeficeret episco-

---

celeriter rediturum fuisse, neque jam 27. Jan. 1264 domum reversum concludo. Sed, quod potissimum est, nullo modo fieri potuit, ut Friedericus, de quo 16. Aug. 1264 nondum provisum, qui nondum consecratus erat, jam 27. Jan. 1264 episcopus Culmensis appellaretur atque cum Alberto episc. Pomesan. idoneus testis esset. Praeterea monendum est, a. 1264 demum capitulum Culmense ordinis Teut. factum esse, Friedericumque primum eiusdem ordinis fratrem fuisse.

[16]) Quem Annalist. Thorun. (S. R. P. III. 59) a. 1242. 15. Jun. (aut 31. Sept. ex alio fonte, ibid. p. 549) „circa aquam Rens circa Grudentz“ (hodie Rondsen; Voigt, hist. Pr. 2. 500); Dusburgius c. 40 (ex ratione Toeppenii S. R. P. I. p. 73; III. p. 59) a. 1243; Długossus (I. p. 699) et Schützius (hist. R. P. fol. 22) a. 1244 fuisse tradunt.

[17]) Nos quidem non videmus, cur de hac re dubitetur. Etenim per litteras 15. Jul. 1244 ad Christi fideles per Livoniam, Prussiam, terram Culmensem, Gotlandiam etc. etc. constitutos datas Innocentius P. IV. promittit, se ad eos Wilhelmum Sabin., quondam Mutin. episc., missurum; idemque 21. Jul. ejusdem anni ad habitatores terrae Culmensis et Teutonicos habitantes in Prussia scribit, se brevi esse missurum illum legatum. Act. Bor. II. 615 et 619. Non ita multo post eum in Prussiam profectum esse, conjici licet. Quum papa 2. Dec. 1244 Lugdunum venisset, atque Wilhelmus ibidem 23. Jan. 1245 praesens appareat, circa hoc tempus eum e Prussia ad papam rediisse statuendum est. Haec ratio cum regestis Wilhelmi in S. R. P. 2, 129 bene convenit. Diploma enim d. d. 29. Nov. 1244 ad posterius tempus rejiciendum erit; ibid. Jam 1. Feb. 1245 papa, se pro Wilhelmo alium legatum in Prussiam, scil. Henricum capellanum ejus, esse missurum annuntiat. C. W. I. p. 11 et 12. Quum igitur Wilhelmi legatio post 21. Jul. 1244 ponenda sit, pugna apud Rensen prius fuisse non potest (fortasse 31. Sept. 1244).

[18]) Dusb. c. 40. Frater Theodericus antiquus marscalcus, qui una cum novo Berlwino occubuit, etiam 1243. 22. Mart. inter vivos est. C. P. I. p. 52.

[19]) Suantopolcus nuntios ad Reineconem scultetum civitatis Culm. mittit — v. testimonia apud Voigt, hist. Pr. 2, 505 —; anno 1244 Bertoldus scult. Culm. erat (ibid. S. R. P. I. p. 75); 8. Jan. 1246 autem Reineco scult. Culm. C. P. I. p. 63; cf. C. W. I. p. 59 a. 1251 Reiniko inter cives Culm. (Długossus I. p. 700 eum Remkam advocatum nominat, sine dubio pro Reinkone. De mulieribus Culmam defendentibus v. Bitschin, in S. R. P. 3. p. 509. cf. ibid. 1. p. 75.)

[20]) Ordinem Praedicatorum, Długosso, I. p. 698 et M. de Michov. 3, 43. testibus, Conradus dux († 1247) „in dominiis et terris Masoviae plantaverat“ et 1244, fratribus ejudem ord. e conventu Cracoviensi arcessitis, monasterium Praedic. Plocense instituerat. Monaster. Praedicat. in nova civitate Thorun. supra fluvium Mokram anno 1263 fundatum est, (Dług. p. 769; Wernicke, Gesch. Thorn 1, 33) vel potius translatum; nam antiquior eorum erat ecclesia et monasterium in Zlottoria (hodie Kaszczorek) cis Drewenzam prope Thorun., quae villa episcopi Cujaviensis fuit, (Wernicke l. c.), atque igitur Polonicae originis. Ille episcopus ex Polonorum auctoritate institutus esse videtur. His rationibus apud monachos Polonos facile traditio quaedam Praedicat. Thorun., alias quoque observata, nasci et propagari potuit, quam Grunovius tuitus esse videtur.

[21]) C. P. I. p. 155. cf. Grunovius et Leo p. 110, qui etiam nomen candidati adversarii, fortasse ex traditione Thorunensi, habent: „Doctoris Nicasii Parochi Thorunensis ad S. Joannem.“

pum, nisi forte ipse ibi sedem suam habere vellet. Warnerus autem nec Warmiam nec Pomesaniam obtinuisse videtur. Ernestus ipse ante a. 1249 non occurrit.

Quum de Warmia commentatione nostra ipsa fusius disputaverimus, ad Sambiam transibimus. Jam supra commemoravimus, etiam Sambienses episcopos jam ante Henric. de Strittberch, quamvis primus episc. appelletur, occurrere. Sed hi primi Sambiae episcopi a sua dioecesi fere non nisi nomen habebant, maxime quia episcopatus iste prius constitutus est, quam regiones illae paganis Prutenis ereptae fuerunt. Ab initio duos episcopos Sambienses una invenimus, quorum alterum a papa, alterum ab archiepiscopo Livoniae et Prussiae institutum esse opinamur, simili hauddubie discrepantia inter ambos pontifices, ac in Warmiae sede instituenda, exorta. Etenim a. 1254 „frater Johannes de Deyst de ordine Minorum, de Brabandia oriundus, translatus est ad petitionem Wilhelmi Regis Roman., cujus fuit Capellanus et consiliarius, per papam Innoc. IV. a Sambiensi eccles. ad eccles. Lubecensem.“ A. 1253 „papa Johannis Minoritae Sambiensis industria est usus, ut populos ad induendam contra Conradum crucem incitaret.“ Dubitari ergo nequit, Johannem a papa ipso episcopum Samb. esse constitutum; eumque a. 1253 in Germania versatum fuisse. Qui igitur eodem tempore a. 1252 et 1255 obvius est „Frater Theodericus, ordinis Praedicatorum, episcopus Sambiensis“ a papa nec nominatus nec confirmatus habendus erit, sed ab archiepiscopo Liv. et Pr. Alberto institutus; quocum quam arcte fuerit conjunctus, vel inde sequitur, quod inter alios coram venerabili patre Alberto archiep. L. et Pr. mense Junio 1255 literas dedit.[22]) Qui quum igitur episcopus in Germania exul Innocentio IV. nullus exsisteret, papa Legato suo Petro diac. cardin. 1254 (7. Mai. et 11. Jun.) mandavit, ut venerab. Johanne ad ecclesiam Lubecensem translato Sambiae alium episcopum auctoritate apostolica praeficeret.[23]) Quando id effectum sit, accurate dici nequit,[24]) sed jam 10. Febr. 1255 Henricus (de Strittberch) se episcopum nominat (frat. Heinr. Ord. Hospit. Sanctae Mariae Theutonicor. Iherosol. dei gracia Ep. Sambiens.)

Parem etiam post Henrici obitum fortunam habuit ecclesia Sambiensis, qualem Warmiensis post Anselmi mortem. Duos fuisse tunc etiam factos episcopos Samb. invenimus. Per apostolica scripta Gregorii papae X. d. d. 6. Aug. 1275 Friderico Merseburgensi ep. mandatur, ut ecclesiae Sambiensi episcopum praeficiat „et maxime de ordine hospitalis sancte Marie Theutonicorum, qui regionis ipsius dicuntur habere dominium.“ Fridericus igitur, 6. Jan. 1276 „de persona fratris Kristani dicti Mulehusen, ordinis domus Theutonice, providet ecclesie Sambigensi in Episcopum et pastorem.“ Sed jam „quidam frater Hermannus dictus de Colonia tytulo minus iusto ipsius ecclesie se asserebat Episcopum sedis apostolice in contemptum res ejusdem ecclesie occupando.“ Hermanno mandatur, „ut infra duos menses cedat et occupare desinat ecclesiam Sambigensem restitutis fructibus quos percepit.“[25]) Frater Hermannus itaque cessit et posthac inter suffraganeos Colonienses primus in ordine habetur. Antistitis illius dioecesis vices gerens occurrit a. 1284. 1287. 1303.[26])

---

[22]) V. Testimonia de Joh. apud Voigt, hist. Pr. 3, 93. — De familia de Diest inter magnates Brabantiae illustri v. Gebauer, Leben Richards erwählten Röm. Kaysers. p. 513 (1228 occurrit Arnoldus Dominus de Diest, cujus avus se nominat Arnoldum dei gratia principem de Diest. Erant Castellani Antwerp.) Mandatum Johannis transferendi papa jam 5. Jun. 1253 dederat. V. Boehmer Reg. Innoc. — „Rediens ad Regem Roman. (scil. Richardum, cui 1258. 6. Oct. Spirae testis fuit) obiit (1260) circa partes Rheni in Essendia et sepultus in Nuissia.“ V. Meibom. S. R. G. 2, 397. — Dipl. Theod. v. C. W. I. R. 191. 192.

[23]) C. W. II. 551. 552.

[24]) Dusburg. (S. P. I. 288) habet annum 1252, qui fortasse ad Joh. pertinet.

[25]) V. dipl. apud Gebser, Domkirche zu Königsb. p. 42—43.

[26]) V. Binterim Suffraganei Colon. extraordinar., p. 43; cui probabile est, eum fuisse ex ordine Minorum. Dicit etiam, Hermannum a. 1274 audientem Henrici de Strittberch obitum administrationem suae dioecesis suscipere intendisse, sed ab o. Teut. reprobatum esse. Inde sequeretur, eum jam prius, dum Henr. I. etiam vivebat, iam episc. Samb. nescio a quo nominatum esse, quod quidem probabitur, si ille Frater „Hermannus dictus“ episcopus ordinis Minorum 1. Jun. 1261 (Mooyer, Mittheil. aus d. livlaend. Gesch. IX. p. 17, ex Mittheil. der antiquar. Gesellsch. in Zürich 8, 159) huc trahi possit. Id pro certo habendum est, eum invitis papa et haud dubie fratribus o. T. episcopum extitisse. — Lacomblet Urkb. II. p. 444. S. R. P. I. 288.

# LECTIONES.

## A. ORDINIS THEOLOGORUM.

### Dr. Andr. Menzel, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Doctrinam dogmaticam de Deo exponet dieb. Lunae, Martis, Mercurii, Jovis h. X—XI.
II. Introductione in studium theologicum praemissa tradet Apologetices partem priorem dieb. Lunae et Jovis h. VI—VII, die Veneris h. X—XI.
III. Repetitorium dogmaticum moderabitur die Saturni h. X—XI.

### Dr. Andr. Thiel, P. P. O.

I. Historiam ecclesiasticam primi aevi tradet dieb. Lunae, Martis, Jovis, Veneris, Saturni h. IX—X.
II. De jure ecclesiastico tractabit dieb. Martis, Jovis, Veneris h. VI—VII.
III. Repetitiones et exercitationes de historia ecclesiastica instituet die Mercurii h. IX—X.

### Dr. Ant. Pohlmann, P. P. O.

I. Selecta capita librorum V. T. historicorum explicabit dieb. Martis, Jovis et Saturni h. VIII—IX.
II. Evangelium Johanneum interpretabitur dieb. Lunae, Mercurii et Veneris h. VIII—IX.
III. Introductionem generalem in sacros V. et N. T. libros dabit nec non de Hermeneutica biblica disputabit dieb. Martis et Veneris h. II—III.
IV. Grammaticam aut Syriacam aut Arabicam tractandam offert semel per hebd. hora definienda.

### Dr. Franc. Dittrich.

I. Theologiam moralem docebit dieb. Lunae, Mercurii, Veneris, Saturni h. XI—XII.
II. Historiam literariam scriptorum ecclesiasticorum tradere perget dieb. Martis et Jovis h. XI—XII.
III. S. Augustini librum de civitate Dei explanabit bis p. hebd. horis deff.

# B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

**Dr. Franc. Beckmann, P. P. O, h. t. Decanus.**

I. Aeschyli Agamemnonem interpretabitur ter per hebd. h. X—XI.
II. Horatii Epistolam ad Pisones explicabit aut Tertulliani Apologeticum bis p. hebd. h. X—XI.
III. Historiae literarum Romanarum conspectum tradet bis p. hebd. horis deff.
IV. Exercitationes philologicas instituet semel p. hebd. hora def.

**Dr. Laur. Feldt, P. P. O.**

I. Physicen experimentalem docebit et Conversatorium de rebus physicis instituet dieb. Lunae et Jovis h. XI—XII.
II. Astronomiae elementa ita explicabit, ut ab iis etiam, qui mathesi sublimiori discendae non dederunt operam, intelligi possint, dieb. Martis et Veneris h. XI—XII.
III. Trigonometriam planam, sphaericam et sphaeroidicam ex libro: Sniadecki's sphaerische Trigonometrie etc. übersetzt von L. Feldt, tradet dieb. Lunae et Jovis h. II—III.
IV. Calculum differentialem et integralem tradet et doctrinam de integralibus definitis ad varias quaestiones applicabit horis deff.

**Dr. Jos. Bender, P. P. O.**

I. Historiam universalem a Caesare Augusto usque ad exitum Carolorum tradet ter p. hebd. h. VIII—IX.
II. Historiam Warmiensem cum Prussica conjunctam enarrabit bis p. hebd. h. VIII—IX.
III. De linguarum scientia in universum disputabit praecipuaque historiae linguae Theotiscae capita tractabit semel p. hebd. h. VIII—IX.
IV. Repetitorium et disputatorium historicum instituet semel p. hebd. hora definienda.

**Dr. Frid. Michelis, P. P. E.**

I. Logicen tradet ter p. hebd. h. IX—X.
II. Philosophiam naturalem docebit ter per hebd. h. IX—X.
III. Platonis Theaetetum interpretabitur bis p. hebd. horis deff.

# Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei, cui praeest **Prof. Dr. Thiel**, commilitonibus patebit dieb. Martis et Veneris hora II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt.**